

1764, 23.

S P E C I M E N
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
HEREDE IN DONATIS
PROPTER NVPTIAS
INSTITVTA

QVOD

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBL. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG. SOCIO

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

DIE XXVI. APRIL. ANNO CICIO CC LXIV.

DEFENDET

IOANNES GOTTFR. TRAVTMANNVS
WINGENDORF. LVSAT.

L I P S I A E

EX OFFICINA RVMPFIANA.

SPECIMEN
CARAVIUS CONTRAVERSA
HEREDE IN DONATIS
PROTERR. NATTA
INSTYTUTA
LITERIS. I. GORI. ORBIS. CULTA
CHRISTIANO HINR. BREUNING
IN VANTGARIO. PETRINO
JOVANNI. GOTTER. TRAVAMUNAS
PISSAIE



DE

HEREDE IN DONATIS
PROPTER NVPTIAS
INSTITVTA.

§. I.

Sane si in ylla re curiosi fuere romani, profecto fuere in conseruandis vltimis morientium voluntatibus. Nihil enim est, quod non adhibuerint, vt testamentorum valor subsisteret, imo adeo ipfas fictiones. Quae enim mouens alia causa, quare lex Cornelia finxerit eum, qui in captiuitatem venerat, antequam captiuus et seruus fieret, statim mortuum esse, si poslea contingeret, vt apud hostes moreretur, quam vt conseruaret testamentum, quod ante captiuitatem fecerat is, qui postea captiuus erat factus. Neque alia causa fuerat fictionis iuris postliminii. Et ita in trecentis aliis. Enata exinde esse videtur regula: *Publico expedit, suprema hominum iudicia exitum babere, vt est apud PAVLVM in L. 5. n. testamentia quemadmodum aper.* Haec vtique regula ita adhibenda est, vt testamenta, si quae dubia in iis circa heredis institutionem scriptura continetur, si fieri possit, ita interpretentur, vt exi-

* 2

tum



tum habere possint. Cum vero Germania nostra omnem de testamentis materiam ex Romanorum iure receperit, dubium non videtur, inter nostrates quoque hanc regulam recte servari.

§. II.

Quae cum ita sint, nihil sane facilius erit, thema admodum controuersum atque dubium quoddam vel ex hac ipsa lege decidere. Facti haec est species: *Titius* ante duodecim et quod excurrit annos in matrimonium duxerat *Semproniam* virginem honestam cumque ea nuptialia init pœta, in quibus sponsae *tria millia* vallenstium propter nuptias donauerat, quae pœta non tantum inter pacientes confirmantur fide iudicis adhibita, verum etiam secuto matrimonio eoque et copula sacerdotali et coniugalis thori adscensione confirmato. Post exactos duodecim annos maritus *Titius*, cum in grauem morbum incidisset, testamentum condit, inque eo conjugem instituit cum liberis suis heredes in hunc modum. Zu Erben meines zeitlichen der maligen Vermögens seige hiermit ausdrücklich ein, 1. Meine liebe Ehegattin, *Semproniam*, 2. meinen ältesten Sohn, *Cajum Titium*, 3. meinen andern Sohn, *Sexum Titium*, 4. meinen dritten Sohn, *Marcum Titium*, und 5. meine Tochter *Luciam*. Post interjecta quaedam ita pergebat, cum partes scriberet suis heredibus: Meine liebe Frau und eingesetzte Erbin soll aus meinem bereitestem Vermögen 3000 Thaler erhalten, immassen ich solche in solcher Portion zur Erbin einsehe, und die mit ihr vormals errichteten Eheverträge, nach welchen sie nach meinem Tode Drey Tausend Thaler erhalten soll, hiermit bestätige. Moriebatur demum *Titius* atque tabulis testamenti apertis, liberisque ipsis impuberibus tutoribus datis, agnoscitur patris atque mariti ultima voluntas, heredesque scripti ipsam adeunt hereditatem. Iam vero adita hereditate oriebatur lis, *an viduae Semproniae heredi inf tutae cuique tria millia vallenstium soluenda ex nuptialibus pœtis, rotidem quoque*

tan-

+ *

*tanquam heredi scriptae soluenda sint, an in donatis propter nuptias
saltē heres instituta esse videatur.*

5

§. III.

Haud nego, utramque sententiam suis argumentis defendi posse, quamuis non negem, cuique sententiae quaedam obiici atque opponi posse, maxime cum sciam in ipsa controuersa causa sententiorum diuersa collegia in diuersa abiisse, maxime *Dd Jenenses* admodum fauissē partibus viduae, ut eidem utramque addixerint quantitatem et ex testamento et ex pactis nuptialibus. Et si verum fatear, eorum argumenta me com- mōuerunt, ut eorum opinioni calculum adderem. Videamus ergo, quae sint argumenta in hanc sententiam.

§. IV.

Voluit sane testator, ut conjugem habeat heredem, quod ex repetita heredis institutione in testamento facta, satis clare apparet. Nunquam vero cogitari potest heres, cui nulla hereditatis portio obueniat. Voluit itaque testator conjugem habere portionem aliquam hereditatis. Iam si conjugis heredis iura contemplemur, necessario, cum sit heres, succedat quoque in ius, quod defunctus habuit; ea enim vera est heredis notio. At si demus, *Titum* suaem *Semproniae* donasse propter nuptias tria millia, quis iure adserat, maritum ius in illa tria millia habuisse, quae iam iure perfectio debebantur conjugi, ut ipsi tantum expectandum esset, donec dies veniret, i. e. donec moreretur, a quo tempore cum effectu peteretur ipsa donata quantitas. Quod si ergo heres esset instituta in illa tria millia donata, heres sine dubio instituta esset in portionem, in quam marito amplius nullum ius competebat. Non ergo succederet in ius testatoris, et sic contingere, ut heres instituta esset, et tamen non succederet testatori; quod contradictionem utique inuolueret. Corrueret itaque testatoris ultima voluntas in hac herede, quam, ut supra

* 3

mo-



monuimus, tam sanctam conservare studuere veteres, si sub illis tribus millibus titulo hereditatis relictis, ea subintelligamus, quae in pactis nuptialibus donata erant, quod esset contra testatoris intentionem, qui voluit, ut supremum suum iudicium extum habeat.

S. V.

Neque desunt rationes aliae. Satis constat, coniugem quidem durante matrimonio dominium rei donatae propter nuptias non consequi; at hypotheca in bonis mariti eandem tutam effere leges, neque negari potest, coniugem viduam factam petere posse donata, eaque ab hereditate inter aes alienum computanda. Ne fieri ergo quidem potest, ut illa donata tria milia valensium coniugi superstiti in hereditatem imputentur, quae in constituenda hereditatis portione ante omnia cum reliquo aere alieno deducenda. Coniicio inde testatoreri ne potuisse quidem, cum coniugem heredem scriberet, de donatis propter nuptias cogitasse.

S. VI

Et quid demum, si dubium esset, quae vera testatoris mens fuisset, quod interim ponamus, non concedamus; nihil mihi certius esse videtur, quam coniugi vtramque summam deberi. Nam quod pacta nuptialia per se valeant, nec egeant aliqua confirmatione per testamentum indubitate fidei est. Nunquam ergo negabunt coniugi viduae heredes ea, quae ipsi debentur ex pactis. Sequitur inde: verba illa in *Titii testamento*: Hiermit bestätige, non de confirmatione aliqua, sed de sola mentione iniecta intelligenda esse. Et iam recte sequamur effatum *PAV-*
L1 in *L. 12. π. de Reg. Iur. in testamentis voluntates testantium plenius sunt interpretandae*. Neque ab hac ipsa iuris regula alienus est *MARCELLVS* in *L. 291. π. eod.* cum in eo fragmento de hereditatibus agat, mox asserat, *in re dubia benignorem interpretationem*

tatio-

* * *


zationem sequi, non minus iustius esse, quam tutius. Quae cum ita sint, si contrariam sequi velimus opinionem, sine dubio efficeretur, ut inutilis fieret haec in vidua facta heredis institutio, magis est, ut benigniorem interpretationem sequamur, vtque viduae praeter tria millia ex pacto nuptiali, tria millia quoque ex testamento deberi dicamus, quippe omnis ultima voluntas in testatoris liberalitate requiescit.

§. VII.

Veniamus ergo ad obiectiones, quae huic opinionei contraria esse possunt. Vrgeri posset forsitan testatoris intentio contraria. Repono: intentionem testatoris non magis ex verbis, quam ex ipsa re atque negotii indole petendam esse. Qui enim heredem scribit voluntarium, cui et nihil relinquere poterat, sine dubio vult, ut liberalitatem suam percipiat. At, quae esset illa liberalitas, si id tantum concederet, quod iam perfecto iure debebat, quale est, quod ex pactis debetur. Testator ergo haeredem in portione certa scribens ex liberalitate nunquam praesumti potest, nihil dedit, quod fieret, si, quod ex pacto deberet, dedit.


§. VIII.

Dein viduae forsitan contrarius est *Imp. IUSTIANVS* in §.
12. *J. de Legat.* qui asserit: *Duas lucrativas causas in eandem rem eandemque personam cedere non posse.* Sed salua res est, si modo recte intelligamus Iustinianum. Confundere mihi videntur interpres huius regulae legatum rei alienae, de quo in cit. s. tantum sermo, cum legato quantitatis et utrumque cum praesenti themate nostro, ubi non de legato aliquo ab hereditibus praefando, sed de hereditatis portione relieta deque instituta coniuge in certa quantitate sermo est. Quis a legato recte ad hereditatem concluderet? Nunquam ergo ad praesentem facti speciem regulam adductam applicari poterit. Nam regula ea pertinet ad speciem



ciem eamque alienam legatam, utpote; si Caius suo testamento
 scriperit: *Haeres meus dannas esto dare Sempronio fundum Seianum.*
 Eodem tempore Maevius ita in testamento suo scriperat: *Haer-
 es meus dannas esto dare Sempronio fundum seianum.* Dubium non
 est, si ex Caii testamento fundum consecutus fuerat, eundem ex
 Maevii tabulis petere non posse, potius inutile fieri legatum ex
 regula: duas lucratuas causas in eandem rem et personam ca-
 dere non posse. Nec aliena erit regula, si fingamus *Titium* mihi
 reliquisse per modum legati hortum Lucianum. Si postea con-
 tingat, ut ipse *Lucius* hortum suum mihi donauerit, non est du-
 bium, ipsum legatum in testamento *Titii* inutile fore. At quae-
 ro: Qia vñquam nititur iure regula: duas lucratuas causas in
 eandem quantitatem, eandemque personam cadere non posse?
 Sane nullibi hoc nec scriptum, nec sancitum est. De diuersis
 testamentis nemo dubitauit, si *Titius* legauerit CCC, et Mae-
 vius CCC, ex utroque testamento trecenta petam. Quis un-
 quam negavit *Titium* donare posse mihi CCC et deinceps CCC
 relinquere in testamento. Iudicant ergo, qui hanc Iuris Iusti-
 niane legem adducunt in iisdem quantitatibus ex diuersis lu-
 cratiuis causis petendis, contra veriorem interpretationem re-
 iecta analogia legum. Nec desunt argumenta, quae forsan ad-
 duci possent ex ipsis legibus; Sic POMPONIUS in L. 44 §. 1. π.
 de Legat. II. exemplum habet, ubi eadem quantitas ex diuersis lu-
 cratiuis causis sc. diuersis legatis ab eodem testatore in eandem
 personam conferuntur: Ait: *Si ita legatum fuerat, LVCIVS
 TITIVS HERES MEVS TITHASO QVINQUE AVREOS DARE
 DAMNAS ESTO; deinde alio loco ita, PVELIVS MAEVIVS
 HERES TITHASO QVINQUE AVREOS DAMNAS ESTO DA-
 RE; nisi Titius offendenter, adimendi causa a Publio legatum esse reli-
 quos quinos aureos ab utroque accipiet.* Fallit ergo regula supra
 adducta in legatis quantitatibus, quae vera erat in legata spe-
 cie aliqua. Sed quid ea lege ergo faciamus in praesenti the-
 mate?

§. IV.



§. IV.

Neque demum me eorum mouet sententia, quod testator coniugem instituendo in tria millia Vallenium respexerit ad parta nuptialia. At quid est illud: Er hat sich auf die Ehesiftung bezogen. Sane verba sunt, quibuscum nulla coniuncta est idea. Esset verum, si testator dixisset: *tantum relinquo coniugi, quantum donavi in pacis nuptialibus*. Sed quis vteretur restrictiua interpretatione, cum plenius interpretanda sit ultima voluntas, ita ut exitum habere possit, idque autoritate legis. Sic nulla est haec ratio decidendi. Neque maioris momenti est, quod putent eos, qui in certa portione instituti sunt, *legatariorum loco haberi*. Hinc coniiciendum, potuisse testatorem debitum legasse. At legatariorum loco haberi, non est, legatarius esse. Imo ex ipsa L. 13. C. de hered. inflit. patet, eos qui in certa re scripti sunt, in tantum legatariorum loco haberi, ne, sc. *actionibus hereditariis vti et conveniri possint*. Sed hoc nihil facit ad nostrum thema. Tandem possemus in auxilium vocare CARPOZOVIVM P. III. Conf. 20. def. 5. imo BERGERVM in Oeconom. Iur. L. II. Tit. IV. §. 25. n. 4. Sed iam argumentis pugnauimus, non opus est, ut litem autoritatibus finiamus, poterant enim errasse.



Leipzig, Diss., 1764



3

f

TAZOL

nur 31. Stck. Bücher verknüpft

VD18

1764,23.

B.I.G.

Black

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

S P E C I M E N
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
HEREDE IN DONATIS
PROPTER NVPTIAS
INSTITVTA
QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBL. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG. SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XXVI. APRIL. ANNO CICIC CC LXIV.
DEFENDET
IOANNES GOTTFR. TRAVTMANNVS
WINGENDORF. LVSAT.

LIPSIAE

EX OFFICINA RVMPFIANA.

256